

† R. P. Carolus Mader.

(*Prov. Vindobon.*).

† R. P. Carolus Mader.

(*Prov. Vindobon.*).

Externus vitae P. Mader margo nec magnus fuit nec splendidus, sed egregiam virtutum speciem continebat. Homo Tirolensis, simplex et verus, ingenio non communi ac diligentia indefessa doctrinam culturamque animi subtilem, orandi studio ac religionis amore virtutis nobilitatem assecutus est, quam abscondere voluit, sed non potuit.



P. Mader die 30 octobris a. 1840 natus est in Rode-neck, vico Tirolensi, patre Francisco ludimagistro. E fratribus unus vitam monasticam in ordine S. Benedicti, alter patris vitae genus secutus est. Septem studiorum humaniorum ordinibus Brixinae absolutis Katzelsdorfii a. 1858 noviciatum nostrum ingressus est ac die 30 maii a. 1860 Mauternae in studentatu vota religiosa nuncupavit, ibique die 31 octobris a. 1863 ad sacerdotium evectus est. Studiis perfectis cum maximo sodalium gaudio Mauternae etiam alterum noviciatum agere potuit, cumque tandem discedendi tempus advenisset, omnes in studentatu sodales maxime id doluisse in commentariis narratur, ipsum vero nihil nisi scandali malique exempli, quae nemo cognoverat, veniam petivisse.

Post duos annos, quibus Leobii laboribus apostolicis operam dare coepit, a. 1866, belli tempore, in studentatum revocatus est, ut lectoris munere fungeretur. Artes liberales primum docuit, anno autem 1868 iuris cano-

nici docendi munus suscepit non leve. Cum enim sibi conscius esset accurata huius disciplinae cognitione se carere, sed officio suo homo religiosissimus nihil deesse vellet, labore improbissimo id, quod deerat, explere contendens dies quasi noctesque non conquievit. Ita assecutus quidem est, ut discipuli scientia certa et clara imbuerentur, sed nervorum vis debilitata voluntati hominis firmæ obsequi recusavit. Lectoratui itaque valedicens Leobium iterum concessit, ubi in missionibus aliisque laboribus apostolicis operam optimam præstitit, et tam contionum subtilitate quam in agendo cum hominibus comitate et humanitate non minus sacerdotibus quam populo acceptus erat. Leobii in carcere hominibus ob delicta patrata in vincula coniectis sacra facere et doctrinam christianam explicare præsertim in deliciis habuit.

Ab anno 1876 ad 1883 in collegio Katzelsdorfensi ministrum egit. In missiones his annis exiisse non videtur, sacris autem exercitationibus tum domi, quo sacerdotes laicique secessus sacri causa conveniebant, tum in monasteriis Austriae, Stiriae, Bohemiae, Moraviae, Silesiae, Hungariae saepissime praeerat. Quae vero fuerit in his exercitationibus eius agendi ratio, narratiuncula declaratur non illepada. In monasterio quodam religiosae, quae maximam partem ludimagistrae erant, ab exercitiorum magistro doctiores lucubrationes se percepturas esse speraverant. Cum itaque P. Mader sicco simplicique exordio initium fecisset, nonnullae sorores contrahere frontes cavillarique coeperunt, quod homo tam illitteratus sibi missus esset. Magister vero, sive de querelis compererat, sive sponte loquendi modum mutavit, omnes mox gravibus ac solidis meditationibus coëgit, ut capitibus demissis veritatis sibi praedicatae ponderi se subicerent.

Dum domi moratur, P. Mader his septem annis S. Augustini præsertim operibus diligenter lustrandis occupabatur, ita ut Katzelsdorfii omnes magni Doctoris Africani libros studiose perlegeret. Quid mirum, quod inde plurima in eius exercitia contionesque lumina relucebant!

Interea vero P. Mader molesto corporis vitio afflictari coepit, aurium tarditate, qua ingravescente paulatim a laboribus apostolicis abstinere cogebatur. Mense igitur novembri a. 1883 Vindobonam vocatus est. Chronicorum Vindobonensium scriptor tum recte notavit: «Die 6 novembris P. Mader advenit, qui ob aurium quidem tarditatem huic domui ascriptus est, sed doctrina ac pietate sua magno sine dubio nobis usui erit». Quod eventu comprobatum est. Anno sequenti enim novis superioribus creatis P. Mader provinciae Austriacae procurator dictus est, quod munus domi potius scribendo obire posse videbatur. Et re quidem vera, quamquam aurium tarditas sensim ad plenam paene surditatem progressa est, procuratoris officio, si unum triennium excipias (1894-1898) ab anno 1884 usque ad 1920 apud sex Provinciales functus est religiosissime.

Praeter alias muneris sui partes P. Mader rerum in provincia gestarum scriptoris laude floret. Anno 1887, a pretiosa S. P. N. Alphonsi morte centesimo, historiam Congregationis nostrae austriacam (*Die Congregation des Allerh. Erlösers in Oesterreich*) edidit. Prius iam *Litteras annales* singulis annis edendas suscepit, quas ab anno 1883 ad 1918 per annos quinque et triginta perduxit. Et utinam, qui nunc vitam eius paucis delineare conatur, aliqua ex parte saltem aequare posset pennam eius, qui plus quam ducentorum et quinquaginta sodalium in provincia defunctorum vitas sive in libro suo, sive in *Litteris annalibus* egregie adumbravit! Quam artem ut melius addiceret, senex etiam Plutarchi antiqui opera perlustravit. Sed alios quoque libros minores conscripsit in honorem S. Clementis nostri (*Klemens Hofbauer-Büchlein*, a. 1904; *Novene zu Ehren des hl. Klemens M. Hofbauer*, a. 1918). Anno 1900 primam vitam Servi Dei Ioannis B. Stöger composuit, cuius processus ordinarius tum instituebatur. Sed penna eius his propriis libris contenta non fuisse visa est. Nonnulla enim scripta inveniuntur satis ampla, quae P. Carolus Dilgskron, non ut publice ederentur, conscripsit, sed ut Congregatis, vel solis superioribus usui essent, P. Mader vero magna cura nitidissime transcripsit, quae sane opera humilis ac suae utilitatis immemor spernenda non est.

Initio, cum aegre quidem audiret, sed omni hominum consuetudine nondum prohiberetur, saepe etiam Vindobonae in ecclesia monialium SS. Redemptoris e suggestu dixit. Cum vero malum cresceret, paulatim hac re se abdicare coactus est. In Congregatione vero clericis nostris vel iuvenatus alumnis animi sui spiritusque Alphonsiani thesaurus in exercitiis aperire numquam non abnuit, ac praesertim fratrum laicorum secessibus bis fere per singulos annos praeesse solitus est, qui quamquam tam saepe eum audiverant loquentem, numquam tamen nausea movebantur, sed iterum atque iterum monita eius libentes exceperunt. In solitudine sua ab hominum consuetudine remotus, ac vitae umbratilis experientia edoctus casus quoque asceticos dilucide et lepide exponebat, et si quis sodalis negotiis laboribusque occupatus rogavit, ut feria secunda locum suum expleret, numquam se recusavit. Quae expositiones asceticae tanto animi acumine compositae tamque pulchris exemplis e vasta eius rerum in provincia gestarum cognitione haustis ornatae erant, ut, quamvis gravibus etiam subinde censuris non parceret, omnibus tamen semper acceptae essent.

Interea labente tempore aurium tarditas ita crevit, ut P. Mader ab omni fere hominum consuetudine se reciperet et etiam a recreatione communi abstineret. Sed otio inertis usus non est. Saepissime eum in bibliotheca videres more suo in legendo libro aliquo defixum nulloque strepitu, quem non audiebat, turbatum. Ex animi eius argutiis quondam mirum consilium ortum est instrumenti illius inveniendi, quod rerum physicarum

periti « perpetuum mobile » nuncupant, sed in rerum natura construi non posse ingenue confitentur. Ac tum quidem sodales metuebant, ne animi sui commentum avide persequens tandem mente alienaretur. Ipse vero, qui aerario provinciae, si res prospere cessisset, se succurrere posse speraverat, cum superiores prudenter abnuissent, obsequens et tranquillus acquievit.

Quantum incommodi ex aurium vitio homo operosus perceperit, facilius mente concipi quam verbis exprimi potest. Et tamen nemo umquam, credo, P. Mader sive impatientem vidit sive de auribus suis conquerentem audivit, sed potius facete de se ipso dicta ab eo perciperes. Nec surdastorum vitium in eo reperiebatur, qui facile suspiciosi sunt. Hilarus semper, comis officiosusque fuit. Regularum fuit observantissimus, et quamvis superioris exhortationes audire non posset, ad capitulum saltem feriae VI semper venit, ut culpas suas accusaret et a rectore manus signo facto poenitentiam sibi impositam acciperet. Cum quattuor anni temporibus regula cum constitutionibus palam legeretur, cum aliis sodalibus in locum destinatum venit ibique ipse e libro suo attentus legit, ne ab actu communi abesset. Quia autem tandem a recreationis horis abstinuit, post cenam cotidie culinam petere ibique catinos scutellasque detergere suum esse putavit. Talia ac similia, oboedientiae praesertim, exempla sescenta congerere possis. Quid vero de orationis spiritu dicam? Sacrum faciens vel coram tabernaculo SS. Sacramenti commorans corporis habitu orandi magister prodebat. Praesertim ultimis vitae annis, cum procuratoris munere liberatus esset, plurimas diei horas in domus ecclesiaeve oratorio moratus est et vix cuiquam missae sacrificio, quod in ecclesia fieri noverat, adesse omisit. Qua autem spiritus attentione s. missae adesset, sodalis quidam iuvenis aliquando comperit, cui hora tarda celebranti minister nescio quare ab altari discessit. Miratus est sacerdos, quod ministri responsa suo tempore ab alto venientia audiret. Sed miraculum facile explicatum est. P. Mader enim in oratorio s. sacrificio assistens, quamquam audire nihil potuit, actiones motusque sacerdotis observans tam accurate suo tempore respondit, acsi ad altare minister adesset.

Si quis sodalem optimum ita orantem vidisset, mire commotus epistulas legeret, quibus P. Mader alios sodales rogavit, ut pro se precarentur, se semper precandi imperitum fuisse conquerens.

« Precibus tuis caeli viam mihi, quaeso, pandas ». — « Assidue precare SS. Redemptorem eique molestiam exhibe, ut horam exitus felicem mihi concedat: hoc mihi satis est, neque quidquam aliud posco ». Haec taliaque iterum atque iterum in litteris ab eo scriptis leguntur. Ita prorsus animo affectus erat. Festa professionis ac sacerdotii semisaecularia et sexagesima ob eius aures tardas magis sodalium caritate fraterna quam magno splendore celebrata sunt, qua re ipse maxime gavisus est in debiles aures

suas locos facetos iaciens. Tranquillus, cum senium ingravesceret, mortem exspectavit id unum rogans, ne se mortuo exsequiarum magna pompa haberetur. Cum die festo Nativitatis B. M. V. a. 1925 domus nova iuvenatus Katzelsdorfensis a Rm̃o P. Generali dedicanda et ipse Rm̃us Pater deinde domum Vindobonensem et ossa S. Clementis invisurus esset, P. Mader animo angebatur, ne morte sua laetitia adventus eius turbaretur. At Dominus servum suum ea utique re remunerari voluisse videtur. Ipso illius festi diei mane ad Deum migravit et die 10 septembris Rm̃us P. Generalis cum Cons. gen. P. Hudeček aliisque hospitibus e provinciis etiam vicinis ad eum convenientibus ad exsequias eius astitit.

Non multo ante, quam moreretur, hic homo Dei Rectori quaerenti respondit: « Vitae meae curriculum in mensulae scrinio depositum invenietis ». Perscrutantes autem post mortem eius in scrinio illo nihil invenerunt nisi chartulam, in qua eius manu scriptum erat: « Curriculum vitae meae apud S. Lucam cap. XV descriptum legitur ». Quibus humilibus hominis verbis illud celeberrimum S. Teresiae paene in dubium vocari credideris, quo humilitatem idem esse dixit ac veritatem. Nihil enim minus verum esse potest quam parabolas Domini de ove drachmave perditis vel de filio prodigo, quas S. Lucas illo capite refert, ad P. Mader transferri posse.

Utinam nobis quoque coronam illam adipisci contingat, quam in caelo Patri Mader obvenisse pro certo habere possumus. R. i. p.!